Quelle: http://manuscripta.at/?ID=957
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

liguriam fames exercuerat, ut sicut sanctissimus Dacius mediolanensis an-
tistes retulit, quod plerique matres infelicium natorum membra comederent.
Cumque per annum gothi romam obsedissent, demum territi ravennam re-
diere. Belisarius vero proficiscens neapoli eamque ut competebat ordi-
natam relinquens, romam reversus est. Statimque ei a theodora augusta pre-
ceptio allata est, ut papam silverium convictum accusatione falsorum tes-
tium in exilium truderet, eo quod anthimum hereticum constantinopolitanum
episcopum recuperare noluisset. Quod belisarius licet nolens, nichil moratus
effecit. Pulsus papa denique silverius ad pontiam insulam est, in qua et exulans
obiit. Witigis vero coacto rursus in unum magno gothorum exercitu
cum belisario confligit, factaque maxima suorum strage in fugam conversus
est. Quem iohannes magister militum cognomento sanguinarius noctu fugi-
entem persequens vivum comprehendit, romamque ad belisarium adduxit. Pa-
cata belisarius victoria constantinopoli rediit, secum witigisum de-
ferens. Quo viso iustinianus valde letatus est, eumque non multo post patri-
cium effectum, amministratione illi iuxta persarum terminos tributa, ibique
witigis degens vitam finivit. Belisarius vero dignis evectus honoribus
iterum ad africam adversus guntarium mittitur, qui vuandalas rursus solli-
citans, apud eos arripuerat regnum. Belisarius ut africam attigit, gun-
tarium sub pacis dolo illico peremit, residuosque vuandalorum rei pu-
blice iugo substravit. Victor exinde belisarius romam venit, auream
crucem c librarum preciosissimis gemmis exornavit, in qua suas victorias
descripserat, beato petro per manus pape vigilii optulit. His ipsis
Divus Benedictus — temporibus apud cassinum post solitariam vitam sancto degens cenobio stupendo
beatissimus pater benedictus nec minus futurorum prescius radiabat virtu-
Longob. apud pannon. — tibus. Hac etiam etate gens longobardorum amica tunc ipsi romanis
apud pannonias degebat, quibus in regni gubernaculo audoin preerat. Is
eo tempore cum turisendo gepidarum rege confligens per alboin suum filium
iuvenem strenuum victoriam nactus est. Denique inter ipsas alboin sese
acies torrismodum turisendi regis filium appetentem alacriter ag-